

(e) Deuteron. *XXII. 28.* Seldenus *de U. E. l. 1. cap. ult.*

(f) De scortatione prohibita agunt in sacris litteris textus: Levit. *XX. 29.* de patre filiam prostituentem, Levit. *XXI. 9.* de comburenda filia sacerdotis si scortari cœperit, Deuter. *XX. 21.* de lapidanda fœmina, quæ in domo patris scortata, postea nubendo se virginem mentita, ac a sponso virgo non inventa fuerit, Deuter. *XXIII. 17.* quod non debeat esse meretrix inter Israelitas. Deuter. *XXIII. 18.* de non inferendo in ædam DEI dono prostibuli. Ceterum dissentiunt interpretes, quid in lege Mosaica per meretricem & scortum intelligatur, an in genere ea, quæ corpore quæstum fecit, an in specie quæ intuitu cultus idololatrici corpus prostituit, an etiam illa, quæ omnibus promiscue usuram corporis indulsit. Vid. Seldenus *de J. N. & G. l. 5. c. 4. p. 576. seq.* item Clericus *ad citata loca legis Mosaicae.* Et nullum est dubium, Deuter. *XXII. 21.* per fœminam in domo patris scortatam, forte etiam Levit. *XXI. 9.* per filiam sacerdotis scortationi indulgentem, intelligi, non scortationem stricte dictam, quæ stupro opponitur, & publicam corporis præstitutionem supponit, sed fœminam stuprum passam, idque occultantem. Credo etiam, nullum subesse dubium, quod in populo Israelitico non tolerata fuerint lupanaria publica, interim, uti apud Protestantes hodie, ubi etiam lupanaria publica non tolerantur, non desunt tamen fœminæ, quæ corpore quæstum faciunt, & cum pluribus pro mercede concumbunt; ita etiam verosimile est, apud Israelitas ejusmodi prostibulorum exempla non defuisse. De horum autem pœna nihil determinatum legitur in legibus Mosaicis. Nam textus Levit. *XXI. 9.* & Deuter. *XXII. 22.* ut pote de casibus plane specialibus loquentes huc non pertinent.

ment.